



**Totivs Ivris Canonici Compendivm, Siue, Brevis Svmma In
Qvinque Libros Decretalivm Sacri Concilii Tridentini
Decretis Accommodata**

In Qva Ivris Canonici Primæ Institutviones, seu Elementa ita traduntur, vt plurima breuiter ac decisiuè explicentur, & Canonum, Glossarum, ac Doctorum receptorum auctoritate communiuntur ...

Axel, Johannes Honorius van

Coloniae Agrippinae, 1656

De officio primicerij. Titulus XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61552)

POST Archidiaconum gradum facit Archipresbyter, qui archidiacono minor est administratione & iurisdictione, maior ordine, *c. 1. sancta gl. hoc tit. c. perlectis §. archipresbyter 25. dist. habet dignitatem curatam, requirentem residentiam, c. ex parte nostra de cler. non resid. Pan. in c. 1. in 2. not. hoc tit.* Archipresbyterorum ¶ duo sunt genera, ciuitatis siue ecclesie cathedralis, ac ruralis.

2 Ministerium ¶ archipresbyteri ecclesie cathedralis in eo constituitur, vt diligenti cura prouideat ministerium & vitam sacerdotum, vt officium dicatur horis canonicis indeclinabiliter, id est in puncto horæ. *Pan. in cap. 2. in 2. not. hoc tit.* si episcopus defuerit, fontes benedicit: pœnitentem solemniter & publice, infirmum, consulto episcopo, reconciliat: *c. 2. §. fin. & ibi gl. in verba consulto hoc tit.* pœnitentiam ¶ cunctis sacerdotibus iniungit: (quilibet enim presbyter diœcesis, est sub cura archipresbyteri, & non potest alteri confiteri, eo inconsulto, nec ab alio pœnitentiam recipere, *Pan. in d. c. 2. in 5. not.*) vice episcopi officium inchoat; presbyterales benedictiones dat: missam, quando voluerit, cantat, vel cui de sacerdotibus iussit: absoluit omnes ¶ de episcopatu, qui ad eum pro pœnitentia recipienda recurrunt: *c. officium hoc tit.* (quilibet enim de ciuitate, vel diœcesi, potest sacramenta recipere, in maiori ecclesia, non obstante, *cap. placuit de pœnit. dist. 6. & c. nullus de paroch. gloss. in c. officium in verb. a foris veniunt hoc tit. & ibi Pan. & Can.*)

5 est Vicarius ¶ Episcopi in quibusdam spiritualibus, in quibus alium Vicarium dare potest; quia sunt voluntariæ iurisdictionis: *Pan. in c. 2. in vlt. not. & in c. 3. in princ. & sub numero primo, vers. quaro in quo debeat hoc tit.* alio nomine appellatur decanus. *c. ad hoc de offic. archidiacon.* Archipresbytero ¶ rurali cura impediti vulgi, & sollicitudo aliorum sacerdotum

Summa in Decretales,

incumbit, qui per minores titulos habitant, qui ab alio non possunt recipere pœnitentiam, & ecclesiastica sacramenta, illo inconsulto, *Pan. in c. fin. in 3. not. hoc tit.* non potest ¶ citare clericum sibi subiectum ad residentiam, & si non venerit eum priuare; quia cum agitur in figura iudicij solus episcopus est iudex clerici. *cap. de persona xi. quasi. i. Pan. in c. fin. sub numero primo, vers. quaro hoc tit.* cuncta ¶ præter minora, debet referre episcopo: *c. fin. hoc tit.* non censetur ¶ in ecclesiastica dignitate constitutus: *Clem. vi si principatus & ibi gloss. in verbo foraneo de rescript. vterque habet ¶ ordinariam iurisdictionem, gl. in c. fin. in verbo referant hoc tit. c. cum ab ecclesiis de offic. ord. c. ex litteris de consang. & affinit.* quia eis commissa est vniuersitas causarum, rurali vero certi loci & hominum, *l. prima, §. primo, ff. quis & à quo & c. & ibi not.*

De officio primicerij.

Titulus XXV.

S V M M A R I A.

- 1 Primicerius obtinet dignitatem in ecclesia.
- 2 Præest in docendo Diaconis, & reliquis gradibus ecclesiasticis.

ABSENTE Archipresbytero in choro, & cantu primus est Primicerius, obtinet ¶ dignitatem in ecclesia, *c. cum accessissent de constit. alias præcentor siue cantor, sub quo est succentor, c. inter dilectos de excessu prelat. item magister scholarum vocatur: c. 2. de calamitat. præest, in ¶ docendo diaconis, & reliquis gradibus ecclesiasticis, ac disciplinae custo diæque insitit, subest Archidiacono. *d. c. vñco hoc tit. c. perlectis §. ad primicerium 20. dist.**

P

De